

§. I.

VIdimus itaque, nullum exterorum scriptorum locum, quo hae phrases *ebraismorum* numero eximi possent, huc vsque ex tot veteris Graeciae monumentis ab acerimis criticis & philologis esse prolatum. Quocirca longe rectius de vtraque phraſi statuunt, qui eam ab *ebraeis* deriuant, & priorem: idēn *Gāvator*, *ebraismis*, posteriorem *γεύσας Γανάτη*, *rabbiniſmis*, vel, si maiis, *ebraismis*, (insuetum enim haud est, quod *ebraeorum* magistri, quos *rabbinos* salutamus, usurparunt, *ebraeis* adscribere, sicut hodieque ^{a)} *ebraeorum* nomen illis inditur,) accensent. Ita rationes subducunt THOM. GATAKERVS de *noui instrumenti ſilo diff.* cap. XXXVIII. p. 243. IO. VORSTIVS *philol. ſacra*, ſiue *de ebraismis N. T. commentario*, part. II. cap. XXXIX. p. 275 - 279. &, qui VORSTIVM sequitur, eumdemque velut in compendium quibusdam disputationibus redegit, IO. LEVSDENIVS *diff. philol. V. de ebraismis N. T.* §. 4. quae in eius *philologo ebraeo · graeco generali* est XVI. p. 130. edit. 2. & in RENFERDII etiam *syntagm.* exiftat p. 47. vbi & MOSES SOLANVS huic sententiae accedit, supra cap. I. §. 12. 13. iam productus. His iungendi sunt, qui idem statuunt,

E 3

IO.

^{a)} Quis nescit, cel. SCHOETTGENIVM *horis suis ebraicis* & *talm.* ex *rabbinicis talmudicisque litterarum monumentis N. T.* illustrasse, & tamen non *rabbinicas*, *led ebraicas* eas inscriptisse horas, perinde ut hoc olim fecerat IO. LIGHTFOOTVS? IO. BVXTORFIVS, filius, *florilegium ebraicum* ex *talmudicis ac rabbinicis scriptis collegit*, & tamen *ebraicum* vocavit.